

dist. 1. ait) Deus rationalem creaturam ad sui imaginem, similitudinemque fecit, quæ summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, & possidendo frueretur. Addere poterat, & fruendo gaudii, securitatisque brachiis sine fine tãquam sponsum spõsa beatificè complecteretur. Hominem que naturali propagatione multiplicãdum in loco voluptatis posuit, ac nuptiali veste, iustitia. s. originali vestiuit, atque in omnibus necessariis, & delectabilibus sufficientissimè prouidit, donec cum sua propagine in gloria ad felicissimos assumeretur amplexus. Sed homo dignitatis suæ impatiens seductus à diabolo, cum quo colloquia miscuit, nuptiali veste se priuauit, sponsum, & creatorem suum dereliquit, ac beatissimis nuptiis indignum se fecit. Et quod miserabilis fuit, iam à Deo se elongãs adulterauit, se dæmonibus per idolatriam, & omnem peccatorum immunditiam prostituit, & velut nunquam reuerlurus desperauit, prout Hier. 3. & in pluribus aliis locis dominus conqueritur. Et Hugo de arra animæ. Dereliquisti, inquit sponsum tuum, & cum alienis prostituisti amorem tuum. Corruptiisti integritatem tuam seditati pulchritudinem tuam, disperdisti ornatu tuum, tam turpis, & tam vilis facta es, & tam immunda, quæ talis sponsi amplexibus digna iam non esses &c. Hinc ex parte hominis nuptiæ illæ primitiue frustratæ sunt penitus, & exinantiæ. Sed ecce misericors ille pater miserum tandem deceptæ, ac captiue suæ creaturæ, ac resurgere, atque liberare se non potentis iteratas nuptias instituit, quarum filium sponsum, ecclesiam verò deperditis hominibus per eam congregandam sponfam iterata desponsatione copulare. Verum quia tantis nuptiis nihil inquinatum a desse potest adulter homo, pannosus, & immundus totus, sed & alteri domino tyrannicè subiectus indignus fuit, & ineptus. Venit ipse sponus, vt eam, quam dilexit, dum non esset, vt conderet, etiam postea cum sedita facta fuisset, diligendo re-

dimeret, purgaret, vestiret, cibaret, pulchram faceret, vt sic nuptiis suis iam sanctificatam, & mundatam aptaret. Vt enim (sicut ait Hugo) te releuaret, vnde cecideras, ipse descendere dignatus est huc, vbi iacebas. Et vt tibi iuste redderetur, quod perdideras, ipse dignatus est piè pati, quod tolerabas. Descendit ergo, suscepit, sustinuit, viciit, reparauit. Descendit ad mortalem, suscepit mortalitatem, sustinuit passionem, viciit mortem, reparauit hominè. Hinc Eph. 5. Apostolus ait, Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aqueo in verbo, vt exhiberet se sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, & consequenter ostendit Christum esse sponsum ecclesie præfiguratum in verbis Adæ dicentis, Hoc nunc os ex ossibus meis &c. Propter hoc relinquit homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ. Subdit Apostolus Sacramentum hoc magnum est in Christo, & ecclesia.

Ob eandem causam totiens dominus comparat regnum cælorum homini regi facienti nuptias filio suo, vocans ad nuptias nedum sicut coniuuias, sed sicut sponas vniuersum semen Adæ, hoc ipsum designauit, cum ad nuptias venit. Hinc Beda in homil. ait, Venit ad nuptias, vt se esse de quo sub typo solus psal. præcinuit, Et tanquam sponus de thalamo suo procedens. Et sequitur, Venit ad nuptias carnali more celebratas, qui ad copulandum spirituali amore ecclesiam de cælo descendit ad terram. Et Maximus in sermone de Epiphania, Vadit ad nuptias Dei filius, veteris instituti nouam sibi perpetuæ virginitatis sponfam, gentium de conuersatione facturus. Vadit ad nuptias, quæ nuptiæ nõ creatur. Vadit ad nuptias, non vtique vt coniuuiis delectetur, sed vt miraculis innotescat. Vadit ad nuptias non sumpturus pocula, sed daturus. Hæc ille.

Ecce pater ad quid dominus principium suæ ostensionis per miraculorum operationem in nuptiis celebrare voluit

Duplices nuptiæ, & earum differentia.

homo
beatus
sponsus
sponsa
copula
nuptias
iteratas
desponsatione
copulare